



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

Dominica XIII. Post Pentecosten.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

facile & utile est diligere proximum, hominem nempe nobis similem, & cujus auxilio aliquando indigere possimus: necessarium verò est præterea diligere semetipsum. Quisque maximè sibi proximus est, & Deus non iussit, alium diligere plusquam teipsum, sed sicut teipsum. Præcedit ergo amor erga nos ipsos: & hic debet esse ordinatus, ut amemus nos infra Deum, & supra omnes res creatas æternæ beatitudinis non capaces. *Mense VIII. Disc. 215. pag. 21.*

5.

*Incidit in latrones, Luc. 10.*

Quidquid voluerunt, in viatore fecerunt, non DEUM, non hominem, non infernum attendentes. Atque illos forte paupertas adigit. Quid verò de illis dicas, qui nullum ex rixa vel duello commodum sperare possunt, sed mala potius gravissima timere debent? Terreat nos peccati gravitas, & periculi magnitudo. *Mense VI. Disc. 172. pag. 335.*

## DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

I.

*Ostendite vos Sacerdotibus, Luc. 17.*

Nemo miseratione dignos judicasset leprosos istos, si præscriptum sibi tam facile recuperandæ

CONCIONATORIUS. 151

dæ sanitatis remedium recusassent. Neque miseratione dignus est homo, qui recusat servire DEO, cum ab eo tot nobis remedia ad pietatem & salutem parata sint. *Mense I. Disc. 9. pag. 114.*

2.

*Dum irent, mundati sunt. Luc. 17.*

Non frustra hortatur Psalmista: *Descendant in infernum viventes*, Psalm. 54. nimirum descendendum nunc est per meditationem mortis in sepulchrum, per meditationem æternæ poenæ in infernum, ne descendamus mortui. Præsentissimum nempe peccatorum remedium est memoria novissimorum: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Mors certa est: meditare igitur illam, licet acerba sit ejus memoria: dum eam meditando paulum progressus fueris, mundaberis. *Mense III. Disc. 61. pag. 1. usque ad num. 5.*

3.

*Qui steterunt à longè, & levaverunt vocem suam. Luc. 17.*

Fecerunt leprosi, quod decuit, dum ex humilitate steterunt à longè, tanquam imundi: non omiserunt, quod eorum necessitas exigebat, sed levaverunt vocem suam, petentes sanitatem. Multi Christiani magistratus & patresfamilias contrarium faciunt: dum proximi sunt suis subditis, agunt, tan-

quàm à longè stantes non viderent suorum peccata ; atque ita non levant vocem suam , ubi ad suorum correptionem loqui deberent , sed tacent , & connivent : qua conniventia & sibi & suis gravissima damna inferunt. *Mense IV. Disc. 99. pag. 123. à num. 5. ad finem.*

4.

*Fides tua te salvum fecit. Luc. 17.*

Perperam hæc & similia Scripturæ ac Evangelii verba interpretantur heterodoxi , fidem solam sine operibus sufficere ad salutem credentes. Quis enim scit , an reliqui novem , tametsi eundo mundati fuerint , non iterum in lepram relapsi sint , & iste solus , qui rediit ad agendas gratias , perpetuò sanus manserit , quia opus bonum fecit redeundo ad Christum , & gratias agendo : ita ut Christi verba idem sonent , ac hæc : Fides tua , bonis operibus , labore reductus , gratiarum actione testata te salvum fecit. Inutilis est fides sine operibus. *Mense VII. Disc. 197. pag. 297. à num. 9. ad finem.*

5.

*Fides tua te salvum fecit. Luc. 17.*

Sola fides Catholica pretium facit operibus bonis. Nónne & Judæi , & Turcæ , & Hæretici opera quædam faciunt , jejunant , orant , eleemosynas dispensant ? Verùm omnia hæc eorum opera nihil profunt ad promerendam æternam gloriam , nisi conjuncta sint cum sancta

cta

cta & vera Fide. *Mense VII. Disc. 197. pag. 287. usque ad num. 9.*

DOMINICA XIV.  
POST PENTECOSTEN.

1.

*Nonne anima plus est, quàm esca ?  
Matth. 6.*

Prohibet Christus omnem sollicitudinem nimiam pro alimentis aliisque rebus corpori necessariis, & inculcat sollicitudinem pro anima habendam: sicut ergo, qui mundo serviunt, omne perdendarum rerum periculum fugiunt, ta par est nos declinare omne periculum amittendæ gratiæ & salutis; anima enim plus est, quàm esca, & propterea sollicitè nobis cavendæ sunt pravæ occasiones. *Mense I. Disc. 22. pag. 336.*

2.

*Fenum agri, quod hodie est, & cras in  
clibanum mittitur, Matth. 6.*

Sæpissimè in S. Scripturis humana vita fæno aut caduco flori comparatur: *Omnis caro fenum*; vult nimirum DEUS nos ad caducitatem rerum temporalium meditandam nos hac similitudine excitare, ut omnis cogitatio nostra ad æternitatem se convertat: *Quærite primum  
k s regnum*